

byterorum, sed solum Episcoporum. Quia, sicut dictum est (quæst. præc., art. 5, arg. 1, et art. præc., arg. 1), sub eodem præcepto iungitur, Matth. ult., officium docendi et baptizandi. Sed docere, quod est perficere, pertinet ad officium Episcopi, ut patet per Dionys., 5 et 6 cap. Eccl. Hierarch. Ergo et baptizare pertinet tantum ad officium Episcopi.

2. Præterea, per baptismum annumeratur aliquis populo christiano, quod quidem videtur ad officium solius principis pertinere. Sed principatum in Ecclesia tenent Episcopi, qui, ut dicitur in Glossa ord. Bedæ, Luc. 10, tenent locum Apostolorum, de quibus dicitur in Psalm. 44: Constitues eos principes super omnem terram. Ergo videtur, quod baptizare pertineat solum ad officium Episcopi.

3. Præterea, Isidor. dicit (loco citato in art. præced.), quod ad Episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris et confectio chrismatis; ipse ordines Ecclesiasticos distribuit, et sacras virgines benedicit. Sed his omnibus majus est sacramentum baptismi. Ergo videtur, quod multo magis ad officium solius Episcopi pertineat baptizare.

Sed contra est, quod Isidor. dicit in lib. 2 de Officiis, cap. 24: Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum.

Respondeo dicendum, quod sacerdotes ad hoc consecrantur, ut sacramentum corporis Christi conficiant, sicut supra dictum est (quæst. 63, art. 2 et 6, et quæst. 65, art. 3). Illud autem est sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, secundum illud Apost., 1 Corinth. 10: Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus. Per baptismum autem aliquis fit particeps Ecclesiasticæ unitatis. Unde et accipit jus ad mensam Domini accedendi. Et ideo sicut ad sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare. Eiusdem enim videtur esse operari totum, et partem in toto disponere.

Ad 1 ergo dicendum, quod utrumque officium, scilicet docendi et baptizandi, Dominus Apostolis iunxit, quorum vicem gerunt Episcopi, aliter tamen et aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tanquam principalissimum, unde et ipsi Apostoli dixerunt, Actorum 6: Non est æquum nos relinquere verbum Dei et

ministrare mensis. Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum. Unde et Apostol. dicit 1 Corinth. 1: Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Et hoc ideo (id habet Gloss. Lyrani, super eum locum Apost.) quia in baptizando nihil operatur meritum et sapientia ministri, sicut in docendo, ut patet ex supra dictis (quæst. 64, art. 5, 6 et 9). In cuius etiam signum nec ipse Dominus baptizavit, sed discipuli ejus, ut dicitur Joan. 4. Nec tamen per hoc excluditur, quin Episcopi possint baptizare, quia quod potest potestas inferior, potest et superior. Unde et Apostol. ibidem dicit se quosdam baptizasse.

Ad 2, dicendum, quod in qualibet republica ea, quæ sunt minora, pertinent ad minora officia, majora vero majoribus reservantur, secundum illud Exodi 18: Quicquid majus fuerit, referant ad te, et ipsi tantummodo minora judicent. Et ideo ad minores civitatis principes pertinet disponere de infimo populo, ad summos autem principes pertinet disponere ea, quæ pertinent ad majores civitatis. Per baptismum autem non adipiscitur aliquis, nisi infirmum gradum in populo Christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores principes Ecclesiæ, id est, ad presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi, ut dicit Gloss., Luc. 10, cit. in argum.

Ad 3, dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. 65, art. 3, ad 4), sacramentum baptismi est potissimum necessitate. Sed quantum ad perfectionem, sunt quædam alia potiora, quæ Episcopis reservantur.

ARTICULUS III.

Utrum laicus possit baptizare (2. 2, q. 100, art. 2, ad 1. Et 4, dist. 5, quæst. 2, art. 1, quæst. 1 et 3, et dist. 6, quæst. 1, art. 3, quæst. 2 et 3).

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod laicus baptizare non possit. Baptizare enim, sicut dictum est, proprie pertinet ad ordinem sacerdotalem. Sed ea, quæ sunt ordinis, non possunt committi non habenti ordinem. Ergo videtur, quod laicus, qui non habet ordinem, baptizare non possit.

2. Præterea, majus est baptizare, quam alia sacramentalia baptismi perficere, sicut catechizare et exorcizare, et aquam baptismalem benedicere. Sed hæc non possunt fieri a laicis, sed solum a sacerdotibus. Ergo videtur, quod multo minus laici possint baptizare.

3. Præterea, sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et pœnitentia. Sed laicus non potest absolvere in foro pœnitentia. Ergo neque potest baptizare.

Sed contra est, quod Gelas. Papa, et Isidor. dicunt (locis citatis in art. præced.), quod baptizare necessitate imminente, laicis christianis plerumque conceditur.

Respondeo dicendum, quod ad misericordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his, quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta, maximæ necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi, et quantum ad culpam et quantum ad pœnam. Et ideo ut homo, circa remedium tam necessarium, defectum pati non possit, institutum est, ut et materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus; ne propter defectum baptismi, homo salutis suæ spem deperire patiatur.

Ad 1 ergo dicendum, quod baptizare pertinet ad ordinem sacerdotalem, secundum quamdam convenientiam et solemnitatem, non autem hoc est de necessitate sacramenti. Unde etiam si extra necessitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem, tamen sacramentum baptismi confert, nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus.

Ad 2, dicendum, quod illa sacramentalia baptismi pertinent ad solemnitatem, non autem ad necessitatem baptismi. Et ideo fieri non debent, nec possunt a laico, sed solum a sacerdote, cujus est solemniter baptizare.

Ad 3, dicendum quod, sicut supra dictum est (quæst. 65, art. 3, ad 4), pœnitentia non est tantæ necessitatis, sicut baptismus. Potest enim per contritionem suppleri defectus sacerdotalis absolutionis, quæ non liberat a tota pena, nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cujus effectus per nihil aliud suppleri potest.

ARTICULUS IV.

Utrum mulier possit baptizare (sup., art. 3, et locis ibidem inductis).

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod mulier non possit baptizare. Legitur enim

in Carthagin. Concilio 4, can. 99, quod mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non præsumat. Sed nullo modo licet mulieri docere in conventu, secundum illud 1 ad Corinth. 14: Turpe est mulieri, in Ecclesia loqui; ergo videtur, quod nec etiam aliquo modo mulieri liceat baptizare.

2. Præterea, baptizare pertinet ad officium prælationis, unde a sacerdotibus habentibus curam animarum debet accipi baptismus. Sed hoc non potest competere mulieri, secundum illud 1 Timoth. 2: Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum, sed esse in silentio. Ergo mulier baptizare non potest.

3. Præterea, in spirituali regeneratione videtur aqua habere locum materni uteri, ut August. dicit super illud Joan. 3: Numquid homo potest in ventrem matris suæ iterato introire et renasci? (tract. 11 in Joan., ante med.); ille autem qui baptizat, videtur magis habere patris officium. Sed hoc non competit mulieri. Ergo mulier baptizare non potest.

Sed contra est, quod Urban. Papa dicit, et habetur in Decret., 30, quæst. 3, cap. 4: Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine sanctæ Trinitatis baptizaverit.

Respondeo dicendum, quod Christus est, qui principaliter baptizat, secundum illud Joan. 1: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est, qui baptizat. Dicitur autem Colos. 3, quod in Christo non est masculus et femina. Et ideo sicut masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi, ita etiam femina. Quia tamen caput mulieris est vir, et caput viri est Christus, ut dicitur 1 Corinth. 11, non debet mulier baptizare, si adsit copia viri, sicut nec laicus præsentem clerico, nec clericus præsentem sacerdote; qui tamen potest baptizare præsentem Episcopo, eo quod hoc pertinet ad officium sacerdotis.

Ad 1 ergo dicendum, quod sicut mulieri non permittitur publice docere, potest tamen privata doctrina vel monitione aliquem instituere, ita non permittitur ei publice et solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

Ad 2, dicendum, quod quando baptismus solemniter et ordinarie celebratur, debet ali-

quis sacramentum baptismi suscipere a presbytero curam animarum habente vel ab aliquo vice ejus. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, in quo potest mulier baptizare.

Ad 3, dicendum, quod in generatione carnali masculus et femina operantur secundum virtutem propriæ naturæ; et ideo femina non potest esse principium generationis activum, sed passivum tantum. Sed in generatione spiritali neuter operatur in virtute propria, sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi, et ideo eodem modo potest vir et mulier in casu necessitatis baptizare. Si tamen mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus, sicut et de laico dictum est (art. præced.). Peccaret tamen ipsa baptizans, et alii qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo.

ARTICULUS V.

Utrum non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre (sup., art. 3, et locis ibidem notatis).

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod ille, qui non est baptizatus, non possit sacramentum baptismi conferre. Nullus enim dat quod non habet; sed non baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non potest ipsum conferre.

2. Præterea, sacramentum baptismi confert aliquis, in quantum est minister Ecclesiæ. Sed ille, qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam, scilicet nec re, nec sacramento. Ergo non potest sacramentum baptismi conferre.

3. Præterea, majus est sacramentum conferre, quam suscipere. Sed non baptizatus non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multo minus potest aliquod sacramentum conferre.

Sed contra est, quod Isidor. dicit (refertur 8, quæst. 1, cap. 60, Si quis per ignorantiam. Et de Consecrat., dist. 4, cap. 2, Romanus): Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit, qui baptizat. Sed ille, qui non est baptizatus, dicitur paganus. Ergo etiam non baptizatus potest conferre sacramentum baptismi.

Respondeo dicendum, quod hanc quæstionem August. indeterminatam reliquit. Dicit enim

in 2 contra Epist. Parmen. (cap. 13, a med., Hæc quidem alia quæstio est, utrum et ab his, qui nunquam fuerunt christiani, possit baptismus dari; nec aliquid temere inde affirmandum est, sine auctoritate tanti concilii, quantum tantæ rei sufficit. Postmodum vero per Ecclesiam determinatum est, quod non baptizati, sive sint Judæi, sive pagani, possunt sacramentum baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiæ baptizarent. Unde Nicolaus Papa respondet, de Consecrat., dist. 4, ad consulta Bulgar., cap. 24): A quodam Judæo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra asseritis baptizatos, et, quid inde sit agendum, consulitis? Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent; si autem forma Ecclesiæ non fuerit observata, sacramentum baptismi non confertur. Et sic intelligendum est, quod Gregor. III (habetur de Consecratione, dist. 4, cap. 52) scribit Bonifacio Episcopo: Quos a paganis baptizatos esse asseruisti (scilicet Ecclesiæ forma non servata) ut de novo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus. Et hujus ratio est, quia sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quæcumque aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest, ut si duo non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, et postea baptizaretur ab eodem, consequeretur uterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans et baptizatus; et per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum.

Ad 1 ergo dicendum, quod homo baptizans adhibet tantummodo ministerium exterius, sed Christus est, qui interius baptizat, qui potest uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit. Et ideo non baptizati possunt baptizare, quia, ut Nicolaus Papa dicit (de Consecrat., d. 4, c. 24 A quodam Judæo, in fin.): Baptismus non est illorum, scilicet baptizantium, sed ejus, scilicet Christi.

Ad 2, dicendum, quod ille, qui non est baptizatus, quamvis non pertineat ad Ecclesiam re vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione et similitudine actus, in quantum scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, et formam Ecclesiæ servat in baptizando. Et sic operatur ut minister Christi, qui vir-

tutem suam non alligavit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

Ad 3, dicendum, quod alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus. Et ideo magis conceditur, quod non baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere.

ARTICULUS VI.

Utrum plures possint simul unum baptizare (4, dist. 3, a. 2, quæst. 2, ad 1, et 2, dist. 6, quæst. 2, art. 4, quæst. 1, ad 3).

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod plures possint simul unum baptizare. In multitudine enim continetur unum, sed non convertitur. Unde videtur, quod quicquid potest facere unus, possint facere multi, et non e converso, sicut multi trahunt navem, quam unus trahere non posset. Sed unus homo potest baptizare. Ergo et plures possunt simul unum baptizare.

2. Præterea, difficilius est, quod unum agens agat in plura, quam quod plures agentes agant simul in unum. Sed unus homo potest simul plures baptizare. Ergo multo magis plures possunt simul unum baptizare.

3. Præterea, baptismus est sacramentum maximæ necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessarium, quod plures simul unum baptizent, puta, si aliquis parvulus esset in articulo mortis, et adessent duo, quorum alter esset mutus, et alter manibus et brachiis careret; tunc enim oporteret, quod mutilatus verba proferret, et mutus actum baptismi exerceret. Ergo videtur, quod plures possint simul unum baptizare.

Sed contra est, quod unius agentis est una actio. Si ergo plures unum baptizarent, videretur sequi, quod essent plures baptismi, quod est contra id, quod dicitur Ephes. 4: Una fides, unum baptisma.

Respondeo dicendum, quod sacramentum baptismi præcipue habet virtutem ex forma, quam Apostolus nominat verbum vitæ, Ephes. 5. Et ideo considerare oportet, si plures simul unum baptizarent, qua forma uterentur. Si enim dicerent: Nos te baptizamus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, dicunt quidam, quod non conferretur sacramentum baptismi, eo quod non servaretur forma Ecclesiæ, quæ sic habet: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Sed hoc excluditur per formam baptizandi, qua utitur Ecclesia Græcorum; possent enim dicere: Bap-

tizetur servus Christi N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. Sub qua forma Græci baptismum suscipiunt, quæ tamen forma multo magis dissimilis est formæ, qua nos utimur, quam si dicatur: Nos te baptizamus. Sed considerandum est, quod ex tali forma: Nos te baptizamus, exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerii; homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi, et vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet, propter quod signanter Apost. dicit, Ephes. 4: Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum. Si vero uterque diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu, in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum, alius vero quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret, et si verba pronunciare præsumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, et hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi, quia uterque intenderet non baptizatum baptizare. Et uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud et aliud sacramentum, sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.

Ad 1 ergo dicendum, quod ratio illa locum habet in his, quæ agunt propria virtute. Sed homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi, qui cum sit unus, per unum ministrum perficit suum opus.

Ad 2, dicendum, quod in casu necessitatis unus posset simul plures baptizare, sub hac forma: Ego vos baptizo, puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid hujusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est, nisi singulare geminatum; præsertim cum pluraliter dicatur, Matth. ult.: Baptizantes eos, etc. Nec est simile de baptizante, et baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est unus, sed multi per baptismum efficiuntur unum in Christo.

Ad 3, dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. 66, art. 3 et 5) integritas baptismi consistit in forma verborum, et in usu materiæ. Et ideo neque ille, qui tantum verba profert, baptizat, neque ille, qui immergit. Et ideo si unus verba proferat, et alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens; neque enim poterit dici: Ego te baptizo (cum ipse non immergat, et per consequens non baptizet); neque etiam poterit dici: Nos te baptizamus, cum neuter baptizet. Si enim duo sint, quorum unus unam partem libri scribat, et alius aliam, non erit propria locutio: Nos scripsimus librum istum, sed synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.

DISPUTATIO XXIII.

DE MINISTRO SEU CAUSA EFFICIENTE SACRAMENTUM BAPTISMI.

In hac disputatione solum est dicendum de causa proxime ministrante hoc sacramentum, nam de causa principali, quæ est Deus, et de instrumento illi conjuncto et universali, quod est Christi humanitas, nihil speciale hic dicendum occurrit. De causa vero instituyente hoc sacramentum, superius in principio hujus tractatus dictum est. Rursus de causa ministeriali supponenda sunt omnia, quæ in superioribus de ministris sacramentorum in genere dicta sunt, nimirum de intentione, bonitate aut fide ejus, et alia similia, quæ hic in particulari traduntur a Theologis in 4, dist. 6; nos vero solum addemus ea, quæ aliquo modo fuerint propria et specialia hujus sacramenti.

SECTIO I.

Quis sit minister simpliciter necessarius sacramenti baptismi, ut factum teneat.

1. *Calvini hæresis.* — Primum refertur nova hæresis Calvini asserentis, neminem posse hoc sacramentum ministrare, etiam in casu extremæ necessitatis, nisi sit minister Ecclesiæ ad hoc institutus, et ordinatus. Ita refert Feuard., in addit. ad Castr., verb. Baptismus, hæres. 6; Bellarm., lib. 4 de hoc sacram., cap. 7, qui dicit, hunc hæreticum non satis explicasse, an hujusmodi minister sit necessarius, ut sacramentum teneat, an vero solum, ut licite ministretur. Mirum est autem, quomodo hic hæreticus in hunc errorem potuerit incidere, cum ipse nec veros

Episcopos, vel sacerdotes, nec veram eorum ordinationem agnoscat, sed solam extrinsecam deputationem ex populi, vel magistratum consensu ad verbum Dei prædicandum, et si quæ sunt alia ministeria peragenda. Adducit autem Calvinus, in confirmationem sui erroris, verba Christi, Matt. ult.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Nam ibi ad solos Apostolos, et in eis ad eorum successores Episcopos loquitur.

2. *Sententia asserens ministrum necessario debere esse baptizatum.* — Probat hanc sententiam. — Secunda sententia hic referri potest, affirmans, de necessitate hujus sacramenti esse, ut minister ejus baptizatus sit. Hujus sententiæ videtur fuisse Greg. II, in ep. ult. ad Bonif. Et habetur in cap. Quos a paganis, de Consec., dist. 4. Nam ibi præcipit iterum baptizari eos, quos a paganis constiterit esse baptizatos; pagani enim proprie dicuntur, qui baptizati non sunt. August. etiam, 2 lib. contra Epis. Parmen., cap. 13, et lib. 7 de Bapt., cap. 53, hanc quæstionem attingens, eam definire non audet, sine auctoritate, inquit, *tanti concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Et conjectura adhiberi potest, tum quia non baptizatus nullo modo est Ecclesiæ membrum; ergo nec potest esse minister sacramentorum Ecclesiæ; tum etiam quia qui non est consecratus, non videtur aptum instrumentum ad consecrandum alios, sicut nullus consecrat Episcopum, qui non sit Episcopus, neque ordinat sacerdotes, qui non sit sacerdos; ergo neque baptizare potest, qui non est baptizatus. Unde Hieron., Dial. contra Lucifer., parum ante med., cum dixisset, laicum baptizare posse, subdit: *Ut enim accepit quis, ita et dare potest.* Et similiter Tertul., lib. de Bapt., c. 17, de eadem retractans, inquit: *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest;* ergo eadem ratione, quod acceptum non est, dari non potest. Atque propter hanc causam videtur dixisse Conc. Eliber., c. 38, et eum, qui suum baptismum integrum habet, posse in necessitate baptizare.

3. *Alia opinio, ut sit vir, non femina.* — Tertio opinari quis posset, non quamlibet personam, etiam baptizatam, esse posse sufficientem ministrum baptismi, sed oportere esse virum, et non feminam. Nam de feminis dicit Concil. Carth. 4, can. 10: *Mulier baptizare non præsumat.* Et Clemens, lib. 3 Const., cap. 9, periculosum esse dicit, iniquum et impium, mulierem baptizare. Et in-

fra dicit, esse alienum a Christi ordinatione. *Alias, inquit, cum nos ad baptizandum misit, una nobiscum ad id, mulieres misisset, nunc autem id nusquam ordinavit, etc.* Unde Epiph., hæres. 42 et 79, in princ., et Tertull. lib. de Bapt., cap. 7, inter hæreses Marcionis ponunt, quod mulieres permetteret baptizare.

4. *Conclusio prima.* — Dicendum vero est primo, quemlibet hominem, qui loqui possit et lavare, posse esse sufficientem ministrum baptismi, sive sit vir, sive femina, fidelis vel infidelis, baptizatus vel non baptizatus, dummodo sciat lavare, et verba proferre cum debita intentione. Hæc assertio est omnino certa, et in primis, quod in casu necessitatis, quando scilicet instat mortis periculum, et non adest sacerdos, vel diaconus, vel alius hujusmodi, quod (inquam) in eo casu quilibet possit ministrare baptismum, definitum est in Concil. Florent. in decreto Eugenii, ubi notanda sunt illa verba: *In casu necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest.* Atque idem ex parte colligitur ex Joan. Papa VIII, in cap. Ad lim., 30, quæst. 1, ubi solum dicit: *Laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem, si necesse fuerit, opus baptizandi libere conceditur.* Et similia referuntur ex August., in cap. In necessitate, de Cons., dist. 4, ubi dicitur, laicos in necessitate solere dare baptismum, quem acceperunt. Atque idem refertur ibid., in cap. Constat, ex Isid., lib. 2 de Officiis, cap. 24, ubi solum loquitur de laicis fidelibus; in cap. vero Super quibus, 30, q. 3, Urban. P. declarat idem esse de feminis. Atque de paganis, seu non baptizatis, declaratum est aliis Ecclesiasticis decretis, quæ statim citabimus; et ex ipso usu Ecclesiæ idem colligi potest; ut enim adnotavit Ambrosius, ad Ephes. 4, in primitiva Ecclesia solebant Apostoli fratribus non ordinatis committere baptismi ministerium, quando ipsi non poterant per se illud exercere, ut ex Actor. 2, 9 et 10, elici potest; imo ipsi Apostoli, Christo vivente, baptizabant antequam essent ordinati, ut in superioribus ostensum est; ergo ordinatio ministri non est de necessitate hujus sacramenti; ergo nec fides, ut supra de sacramentis in genere dictum est; ergo nec baptismus, nec sexus, est enim eadem ratio. Ex his ergo, et ex traditione Ecclesiæ, nobis constat hanc fuisse Christi voluntatem et institutionem, a qua totum hoc potissimum pendet.

5. *Confirmatur.* — Congruentia vero est, quia baptismus est sacramentum maximæ necessitatis, respectu omnium hominum; ergo expediens fuit, ut illius administratio omnibus concederetur, præsertim necessitate urgente. Et confirmatur, nam propter hanc causam institutus est in materia communi, quæ ubique facile reperitur, et in simplicissima actione, ac verbis; ergo eadem ratione fuit conveniens, necessarium ministrum hujus sacramenti esse valde communem, atque adeo ministerium hoc cuilibet concedi.

6. *Objectio.* — *Solutio.* — *Baptismus extra necessitatem a quovis collatus est validus.* — At vero dicit aliquis, his testimoniis ac rationibus ad summum probari, in casu necessitatis, quemlibet esse posse ministrum hujus sacramenti; non vero, quod extra casum necessitatis id fieri possit, ita ut factum teneat; neque enim unum ex altero recte potest inferri, sicut patet a simili, ex sacramento pœnitentiæ; quilibet enim sacerdos simplex, si non adsit proprius, potest ministrare illud sacramentum, etiam in materia necessaria seu peccati mortalis, et tamen si extra necessitatem illam, sacramentum illud ministrare tentet, non solum male faciet, sed etiam nihil efficiet; ergo minister, qui in casu necessitatis sufficit ad ministrandum sacramentum, non sufficit extra illum, etiam ut sacramentum collatum teneat; ergo idem esse poterit de baptismo. Respondetur, quidquid sit de illatione, seu de consecutione (quæ revera non est formalis; potuisset enim Christus, potestatem hanc cum prædicta limitatione, solum pro articulo necessitatis concedere), nihilominus talem certum esse in præsentia materia, hanc potestatem talem esse, ut si quis illa utatur extra necessitatis articulum, etiamsi male faciat, ut infra dicemus, nihilominus factum teneat, ut hic docet D. Thom., art. 3, ad 1. Et est sententia August., lib. 2 contra Epist. Parmeniani, c. 43, dicentis: *Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicitè datum.* Quæ quidem verba, ut ex his, quæ inferius subjungit, constat, potissimum ab ipso intelliguntur de fidei laico baptizante; sed est eadem ratio de infideli vel pagano, si semel admittamus, eum posse in necessitate baptizare. Unde Nicolaus Papa, in cap. A quodam Judæo, de Consec., dist. 4, definit, verum esse baptismum datum a Judæo sub debita forma, et nihil distinguit, an baptiza-